

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Gebri Arabis Chimia**

**Geber**

**Lugduni Batavorum, 1668**

De impedimentis ex parte animae artificis. Cap. V

[urn:nbn:de:bsz:31-95581](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-95581)

quam perveniet. His igitur naturalibus corporis impotentius impeditur artifex in intentione sua.

*De impedimentis ex parte animæ  
artificis.*

C A P. V.

**P**Ræmissimus capitulum unum, in quo narravius sermone absoluto & manifeste, impedimenta hujus operis ex parte corporis artificis dependentia. Restat nunc videre breviter impedimenta quæ sunt ex parte animæ artificis, quæ maxima sunt impedimenta complementi huius operis. Dicimus igitur, quod si ipse artifex non habuerit ingenium naturale, & animam perscrutantem subtiliter principia naturalia & naturæ fundamenta & artificia, quæ consequi possint naturam in suæ actionis proprietatibus, nunquam inveniet hujus artis preciosissimæ veram radicem. Sunt enim multi qui habent cervicem durum & in omni perscrutionem vacuam ingenio, qui etiam vix sermonem communem intelligere queunt, & opera similiter vulgo communia cum difficultate addiscunt. Ab his etiam multi sunt qui animam habent facillime phantasiam quamlibet opinantem, secundum quod credunt jam se  
verum

verum invenisse, quod phantasticum est totum, à ratione devium, & errore plenum, & à principiis naturalibus semotum, quoniam eorum cerebrum multis repletum phantasiis & fumolitatibus non potest recipere veram rerum naturalium intentionem. Sunt etiam præter istos nonnulli, qui mobilem habent animum, scilicet de opinione in opinionem & de voluntate in voluntatem, & modo credunt hoc, & idem volunt sine rationis ullius fundamento, post illud vero parum, & aliud credunt, & aliud volunt, qui tam mobilis sunt animi, ut vix minimum ejus ad quod intendunt valeant consummare, sed diminutū potius relinquunt. Sunt & alii, qui nullam ex rebus naturalibus possunt intelligere veritatem, non magis quam bestia, velur incantati, vesani & pueri. Sunt autem alii, qui simpliciter contemnunt hanc scientiam, nec eam esse putant, quos & similiter hæc scientia contemnit, & ipsos ab ipsius epulis & sine preciosissimi operis procul repellit. Sunt denique & alii qui sunt servi pecuniæ & avaritiæ, desiderantes hanc artem invenire, & licet ipsam affirmant, & secundum rationem investigent, impensas tamen interponere timent, quare hujusmodi non consequuntur finem ipsius, propter pecuniæ avaritiam. Ad hos igitur omnes non pervenit scientia nostra. Qualiter enim

nim qui eam ignoraverit, vel ipsam investigare neglexerit ad ipsam perveniet?

*De impedimentis externis opus impedi-*  
*dientibus.*

CAP. VI.

**R**Eduximus ad duo capitula impedimenta hujus magisterii omnia, ipsius finem retardantia, quæ sunt ex principiis radicalibus secundum naturam artificis. Expediit ergo tantum nunc narrare impedimenta extrinsecè supervenientia, à contingentibus fortunis & casibus, quibus impeditur hoc opus gloriosum. Videmus enim quosdam ingeniosos & astutos, non ignorantes opera naturæ, & eam in hoc opere, in quibus fuerat possibile, sequentes principiis, & in omnibus ejus operibus, quibus est investigatio & phantasia, in omnibus rebus, quæ naturæ regulantur actionibus, infra lunarem circulum, hi tamen ultima paupertate depressi, & impensæ omnis indigentia hoc tam excellentissimum magisterium coguntur postponere. Sunt & alii curiosi, hujus mundi vanitatibus, curis & sollicitudinibus detenti seq; omni negotio seculari totos occupantes, à quibus hæc nostra scientia preciosa refugit. Jam ergo patet ex prædictis, quæ sunt ab hac arte retrahen-